

Zbigniew Danek

Alterum Socratae "Maieuseos" testimonium

Collectanea Philologica 2, 81-89

1995

Artykuł został opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej [bazhum.muzhp.pl](#), gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

Zbigniew DANEK

Lodzi, Polonia

ALTERUM SOCRATICAЕ MAIEUSEOS TESTIMONIUM

In Platonis dialogo, qui *Theaetetus* inscribitur, declarat Socrates aliquotiens¹ fungi se in iuvenes munere obstetricio. Dialogus exemplum Socratae artis abditam in animis scientiam eliciendi totus haberi potest². Divulgatam iam sententiam de Socratis ratione docendi parum tamen probare videtur. Qua ex sententia fert se primum Philosophus ad false credita refellenda, quod *elenchos* appellatur, et tunc demum – adhibita cohortatione, quae (vocata *protreptike*) medius insuper gradus adnumeratur – libera errore nova exoriri curat, cui tantum inquisitioni *maieutike* proprium nomen tribuitur³. Eiusmodi existimationi negotii Socrati iam cum *Theaeteto* habitus sermo valde adversari videtur. Nam omnia lata ab iuvene responsa reiciuntur deinceps et definitio proposita scientiae, quae probari possit, calce tenus non generatur. At verba, ad ipsum finem dialogi quae Socrates facit, – nullum in modum confessio acceptae cladis – exactum esse, quod tendebatur, testari videntur contentumque eum eventu sermonis praebent (210b–c). In *Theaeteto* Platonis tota *maieusis* redarguendo consistit et reapse *elenchos* vocanda est.

Exsurgentem dubitationem de exitu „maieuticae” disceptationi propositio aliae quaestiones sequuntur: *Theaetetus*, qui cognitione gravidus a Socrate agnoscitur, parit aliquotiens porroque – ex Socratis verbis (210b10) – parere potest. Est igitur huius negotii latentem in animis rerum notionem veram in lucem proferre denique, an curare potius animi partum permanentem,

¹ Sunt dumtaxat loci: 148e7–151e6, 157c9–d3, 160e1–161a5, 161e5, 184b1–2, 210b3–d1.

² H. Schmidt (*Exegetischer Commentar zu Platons Theaetet*, Leipzig 1880, p. 84) arbitratur propositum fuisse Platonis praestare hunc dialogum pro exemplo, quanto adiumento sit ratiocinationi Socratis obstetricium („die Aufstellung eines Beispiels der Gedankenentwicklung durch die Maeeutik”). Verum enim vero recens dialogi existimatio (E. Heitsch, D. Bostock) ab hoc negotio expromendo abstinet; *maieusis* Socratica, quasi momenti ad sermonem exigui, cursim tantum paucisque commemoratur.

³ Exempli causa: W. Tatarkiewicz, *Historia filozofii*, Warszawa 1981, t. 1, pp. 75–77; A. Krokiewicz, *Zarys filozofii greckiej*, Warszawa–Wrocław 1971, p. 277.

investigationem veri usque progredientem? Editus partus genitale quid (*gonimon*) – vigens et porro creans fore speratur⁴. Altera ex parte latens in animo parturientis scientia ad propriam Platoni recordationem ante natum visi (*anamnesis nominatur*) reduci potest, quae scientia revelari tantum, progressum nullum desiderat. Tendit itaque studium *maieuticum* – arte iunctum cum Platonica recordatione ab nonnullis creditur⁵ – ad notiones innates expromendas, an scientiam adulescentis in ipso sermone exorientem amplecti curat? Talia respondere procurantis partum *maieutici* sit, qui tamen neminem posse doceri a se, scientia nulla praedito, profitetur. Sitne ei credendum, nova dubitatio, cum eius de iuvene interrogata responsa revera se praebant quaestionibus. Discrepatur nimirum de eius declarata inscientia, aliis veram, aliis falsam et simulatam arguentibus⁶. In eo iam suae ignorantiae falsus testis esse videtur, quod se tamen profitetur parem discernere, vanus an gravidus scientia iuvenis atque de partu eius quomodo iudicandum sit. Adulescentibus, quibus deesse facultatem generandi ab eo compertum sit, sit spes aliqua concipiendi partusque edendi an electi tantum hac indole dotati sint, alia quaestio exsurgit, ut priores in *Theaeteto* non absolvenda.

Quoniam responsa in hoc dialogo non feruntur, cogit necessitas ad inquirendum in alia scripta Platonis, speratur enim Socratis ratio docendi illustrius ubi exposita esse. Praeter spem contraque opiniones de frequentibus exemplis Socraticae *maieuseos*⁷, nancisci testimonium ullum huius disciplinae admodum se praebet difficile⁸. Affertur plerumque locus in Platonis *Menone*,

⁴ *Gonimon*, quod primum idoneo ad vitam serendam in vocabulorum indicibus tribuitur (cf. H. Schmidt, *op. cit.*, p. 84), occurrit: 150c2, 151e6, 157d3.

⁵ Sit exemplo H. Schmidt (*op. cit.*, p. 99), ex cuius sententia totum opus *maieuseos* in recordatione consistit („Das ganze Werk der philosophischen Maeeutik gründet sich aber auf der Lehre von der Wiedererinnerung“). Iudicio est ei similis, ut superior continentia, M. Erler (*Der Sinn der Aporien in den Dialogen Platons*, de Gruyter, Berlin–New York 1987). Postulatam a Platone in discendo communem investigationem a disciplina de anima spectante omnia ante natum dependere arbitratur (p. 68).

⁶ Inscientiam Socratis non fictam esse credit G. Graf (*Die sokratische Aporie im Denken Platons*, Winterthur 1963, pp. 29–30). Adversum huic iudicium iam antiquitus fertur: Tum vir sapiens tantum „se demittere ad ingenium discipulorum“ putatur (D. Burger, *Prolegomena et annotatio in Theaetetum, Platonis dialogum*, Lugduni–Batavorum 1843, p. 59). Quae sententia etiam recentioribus annis sustentatur. Animadvertisit enim E. Heitsch (*Überlegungen Platons im Theaetet*, Mainz 1988, p. 36) simillimum esse veri, exorta dissensione inter ignorantiae confessionem et sententiam de nullis nisi feracibus ad obstetricia agenda idoneis (149b10–c2), possideri a Socrate scientiam ab ipso procreatam („Wissen und Erkenntnisse als eigene Erzeugnisse“).

⁷ Exempli causa: I. F. Stone (*The trial of Socrates*, Boston–Toronto 1988, p. 55): „Socrates frequently compares his art with that of a midwife“; cf. R. C. Lodge, *Plato's Theory of Education*, London 1947, p. 190.

⁸ Apud alios nulla fit umquam mentio obstetricii Socratis (cf. W. K. C. Guthrie, *A History of Greek Philosophy*, vol. 3, Cambridge 1969, p. 444, ann. 3), nisi *Nubes* Aristophanis adduceremus, ubi (136–137) concepti nuper cuiuscum Socraticorum commenti abortus irridetur. Et Platonica, praeter *Theaetetum*, testimonia huius disciplinae dubitabilia videntur, sed de iis infra.

cum Socrates a puero indocto geometricam scientiam interrogando elicit⁹. Qui locus dictum iam ordinem negotii affirmare videtur: ipse Philosophus discernit in sermone, cum puero quem habet, partem „elencticam” (id est falsa refellentem) a posteriore, ubi vera rei cognitio enucleatur (84a). Ut in *Theaeteto*, declarat cognitionis illius nihil a se illatum esse discenti (82e5–6, 84d1–3), fert etiam prae se nulla praeditum scientia se, sicut alii, laborare (*aporein*) in vero quaerendo (80c8–10). Plura similibus sunt tamen differentia, quibus *Theaeteti* testimonium et locus *Menonis* discordant. Ibi – supra dictum – ad nullum discrimen res adducitur, hic, quae sitam scientiam assecuta, efficacem se praebet indagatio. Quaeritur enim, quod est denique inveniendum, cum in *Theaeteto* omnia deinceps inventa refellendo suppressa pereunt. Et Socrates, tum nescius veri usque ad finem, scit tamen perbene, quae a puero in *Menone* interrogando elicere vult. Nullam hic praeterea facit mentionem obstetricii sui (tam facilia diiudicatu quaerere indignum forsitan eo nomine putans) gravidatisve pueri secum loquentis. Inesse in eius animo notiones innatas tantum arguit; vox ulla, ad partum gestatum eiusve „puerperium” pertinens, in hoc sermone non appetet. Exerceat Socrates in *Menone* aliisque in locis creber artem suam partus curandi, linguae aptae muneri testimonio non firmata res dubitabilis ac paene neganda manet.

Vocabula, quibus graviditas et labor edendi fetus notantur, apud Platonem inveniuntur, pertinent tamen in plerisque casibus ad feminas parturientes seu consuetudine tantum usque lingue comparantis labore mentis pariendo usurpata esse videntur (e.c. *Resp.* 496a). Doloris parentium appellatio („odinos” vox) et menti excruciaiae desiderio cognitionis tribuitur (*Resp.* 490b, *Epist.* II, 313), sed non gravidam cogitatis, petentem tantum veritatem usque parentem recta notione rerum ea se tunc praebet. Dolor is, quo laborat mens, non fetus portati, sed vacui dolor est.

Tali inopia argumenti, quo obstetricium Socratis, quo saltem homines gravi scientia egere eiusmodi ministerio confirmari possint, propositum nostrum paginas aliquot *Convivii* Platonici intentius legendi non spernendum fortasse videbitur. Tenditur a nobis prae omnibus ad absolvendam quaestionem de scientia, quae portatur in animo quaque interrogando elici potest. Diiudicato, insit ea (innata seu post conquisita) maturi partus similis in hominis animo, an in ipso sermone creetur, interrogata a nobis alia magna ex parte discerni sperantur. Nam tantum onustis cognitione hominibus credendum est agenti cum iis Philosopho, cum nullam disciplinam a se illatam esse colloquentium animis profitetur. Mens partu vacua, ut cognitionis progeniem edere possit, primum imbuitur. Tunc *maieuticus*, in speciem

⁹ Menon 82b–85b; M. Erler (*op. cit.*, p. 69) censet his in locis suis Socrati usui artem eius obstetriciam („Dabei ist die »maieutische« Kunst des Sokrates hilfreich“).

carens scientia abstinensque disciplina, reapse docentem se preabet. Et eius disciplina potius tunc infertur cuique, loquenti modo, quam iuvenum electissimis; non eadem scilicet impensa laboris. Portatur igitur ab hominibus partus aliquis cognitionis, an acquirenda est omnis scientia discendo et res perscrutando? Quae magis proclivia diiudicatu fore speramus reputatis verbis Socratis, qui hominum omnes corpore, aliquos etiam in mente praegnantes esse profitetur.

Appellantia corporis mentisque graviditatem vocabula in Socratis sermone, Amorem extollens in *Convivio* Platonis quem facit, uberrima apparent (206b6 ss.). Dicuntur ibi homines gravi, ut in corpore ita in animo, aetate adulti partus edendi cupidi fieri. Quo in attactu pulchritudinis liberantur – est enim pulchritudo partui tutrix divina (206d2–3) –, aliter iis potestas generandi non datur, sed portantes fetum (*to kyema* – 206d7) dolore nondum editi partus excruciantur. Propria rei vocabula multa apparent: *kyema*, *enkymon* appellantia graviditatem, *odinos* nomen (206e2), quod parientium dolori plerumque imponitur, *tiktein* et *gennain* – ipso pariendo attributa verba cum affini sibi nomine *tokou* (partus appellatio *tokos* est), vocabula denique, suboles edita quibus nominatur (*engona* etiam *paides*). Omnia sunt in numero eorum, quibus ad obstetricium suum exponendum Socrates in *Theaeteto* utitur. Cum tamen in *Convivio* magna ex parte ad generanda corpora nova pertineant, ea potissimum pars sermonis considerari debet, quae nuntiat aliquos mortalium in animo quoque gravidari indeque progeniem dignam humanitate exoriri (209a1 ss.). Quae ita generantur, appellata sunt aliquotiens *logoi* (209b9, 210a8, c2, d5), voce apta sententiis, quibus scientia rerum manifesta fit quaeque a *Theaeteto* poscuntur, cum in definienda scientia laborat. Nascitur is sermo, ut illic, in coetu duorum. Alter alliciens pulchritudine, alter praegnans parturiensque agnoscitur.

Ut multis se consentientem cum *Theaeteto* locus *Convivii* praebeat, et discrepantia aliqua animadvertisuntur. De suscitante partum pulchritudine nulla est mentio in *Theaeteto*, ubi ex contrario et generans ipse et obstetricius partui admodum deiformes depinguntur. Concedamus – quod etiam in *Convivio* admittitur (210b7–c2) – pulchros esse eos animi virtute. Qui pariens, qui assistens partui, discerni tunc nullo modo poterit, cum se contulisse ad educandum creandi comitem is, cui parendum sit, commemoretur (*Conv.* 209c1). Eorum foedus in *Convivio* amantium coetum se praebet. De necessario ad cognitionis partum edendum amore tacet omnino testimonium *Theaeteti*, quamvis eius rei scientia Socrates se antecellere omnibus alibi gloriatus sit¹⁰. Quae veneratio (et una cum ea virtutis scientia) directa ad

¹⁰ Theages 128b; W. K. C. Guthrie (*op. cit.*, pp. 399–401) – inclinat se ad eos, quibus parvus hic dialogus spurius non videtur – confessionem Socratis, convenientem cum eius cultu iuuentutis per amorem („through love” – p. 401) dignam tandem aliquo studio existimat.

simulacra varia pulchritudinis graditur prorsus usque ad pulchritudinis ipsius admirationem nulloque interventu refellentis iudicia inquisitionis de via deicitur. Et auxilium aliquod obstetricii hanc pulchri cognitionem petenti animae oblatum esse non videtur.

Ne tamen res tam gravibus oppositis mature nimis diiudicetur, nonnulla animadvertisimus, quibus locorum congruentia defenditur. Obveniens parturienti pulchritudo appellatur in Socratis sermone Eileithyia (*Conv.* 206d2), quod est nomen deae puerperium procurantis. Unde allicienti generantem pulchritudini obstetricium munus ascribi potest. Admisso eo explicandum sit tamen, qui loquentum in *Theaeteto* pro parturiente, qui pro astante partui egerit¹¹. Omnia, quae in duorum communione nascuntur, ut non quassata refellendo appellantur tamen (cum se iam species caelstis pulchritudinis ipsius ostenderit) virtutis simulacra (*eidola* – 212a4) et, obnoxia errori, vero opponuntur. Quo clarum fit omnem partum humanae mentis – nondum adeptae summa cognitionis – egere existimatione severa, qua castigata mens ad nova propiora vero parienda excitetur. In eiusmodi progressu cognitionis pulchritudinique venerandae vana redarguens *maieusis* magnopere desideranda videtur.

Et non explicatis discordantibus, que supra notata sunt in uno quidem comparabiles loci videntur: utrobique corpore nec non in animo gravi homines ad pariendum intenti esse enuntiantur. Consideretur tamen magis diligenter Socratis in *Convivio* sermo, acto cui ad id negotium spe cognoscendi plura de illa graviditate nova se confestim retexerit difficultas, uberior a nobis infra quae tractabitur. Refert enim Socrates quosdam gravidos (*enkymones* – 208e2) verti ad mulieres amoris commiscendi causa. Quem sexum coetum paulo prius – declinans quid a re, concedimus¹² – ipsum partum (*tokos* – 206c6) appellare non abstinet¹³. Graviditas eo parientis

¹¹ Ut non decernens, difficillima tamen res est explicatu. Nam concessa *Theaeteto* pulchritudine (cf. *Tht.* 185e3–4) pariendum sit Socrati, quod probari non possit, nisi iudicia prolata in dialogo eius reapse partum fuisse statuamus. Similia necesse est fieri generante *Theaeteto*, ceterum qui – praeter in *Convivio* (209c1) praedicta – nullum virtuti colendae utilem sermonem edidisse videtur. Nuper dicta assumptio et in *Convivio* labefactatur, cum generans is, modo se ferens ad educandum comitem, ab aliquo ductore (δῆγούμενος – 210a7) agi nuncupatur. Non evitandum videtur tertium quem admissum iri ad partum (1) seu duos alterum ab altero educari vicissim (2).

¹² Sententiam, in qua viri cum muliere consuetudo partus nominatur (206c5–6), nonnulli Platonis editores omittunt, a narratione discedentem insertam a posteris arbitrati – cf. L. Robin (*Platon: Le Banquet*, Paris 1929, p. 61. ann. 1): „De l’avis général, ces mots sont une glose interpolée” –. Ut illis potius, non adversariis – de quibus unus L. Robin – assentiamur, tamen sententiam, quamvis aegre iungendam cum circumstantibus, rei existimatione Platonicam radicitus et ad auctoris iudicium de hominis origine noscendum permagni esse momenti sentimus.

¹³ Cum ita nuntiatis congruunt aliquo prius edicta verba aequantia hominum priscos cicadis, ex quibus nondum formati homines pepererint non alii in alios (Ἐτικτον οὐκ εἰς ἀλληλους – 191c1), sed partum in humum demiserint. Sicut priora duo, et id mox explanandum temptabitur.

– momentum ad conferenda ambo testimonia principale –, adhuc pro certa quae nobis stabat, dubia esse coepit. Nam fetu gravidum cupidum fieri amoris, quo fetus concipiatur, non sanae mentis esse videtur. Talia ratiocinantes coacti sunt interpres nonnulli Platonici dialogi – fuit nobis studium decem eius translationes in linguis aevi nostri examinandi¹⁴ – declinare quid ab iudicio de graviditate parturientis supposito vocabulorum usu pleroque. Ex sententia eorum inest tantum nobis, propagari maturantibus, ardor aliquis cupiditasque procreandi. Alii, numero praevalentes, durant in priore sententia de hominibus praegnantibus, antequam coetus desiderio exardescant. Incipientia sermonem de humana pariendi cupidine Socratis verba (*Kvō̄σι* [...] πάντες ἀνθρώποι – 206c1–2) convertuntur a primum commemoratis, ut sint homines excitati (*brünstig* – Hildebrandt, 85) ad amorem insitve in iis vis aliqua (*plciowy pęd* – Witwicki, 112) eo ferens. Contrarii hoc in loco gravidos (Schleiermacher, Müller, Lamb) perpetientesve graviditatem (Prantl) homines appellare statuerunt.

Altera alteri adversantium senttentiarum neutra integra videtur. Neque haec de fetu onustis hominibus ab omni parte probatur – ob id, quod partus in coetu duorum concipitur, quo verti iam gravidos nulla ratio esset –, nec est assentiendum alteris pro fetu voluntatem tantum iungendi amoris inesse parturienti arguentibus. Aliquot sunt indicia, quibus, praeter ipsam cupidinem, portari quid ab eo clarescit. Dicit Socrates parturientem obvium deformi cuius non generare, sed aegrotare retinentem fetum (*τὸ κύημα* – 206d7); partus edendi dolore (*ἀδῖνος* 206e2) a pulchro liberari posse. Haud multo post fertur generans ille in amoris communione ea edere, quibus iamdudum gravidus erat (ἢ πάλαι ἐκύει – 209c3), novaque ita edita progenies (*τὸ γεννηθέν*) a duobus educari. Negantibus vel pertinacissime gravidum esse, qui talibus describitur, cedendum est praeterea non dubitandis. Quorum K. Hildebrandt – excitatos tantum cupidine putabat – portari a generante in sermone Socratis graviditatis onus (*Bürde*, 86–206d7) fetuque gravidum (*trächtig*, 89–209c3) confiteri denique coactus est¹⁵.

¹⁴ Considerabatur Platonis dialogus conversus: Germanice (F. Schleiermacher – Leipzig 1882, C. Prantl – Stuttgart 1855, R. Kassner – Jena 1913, K. Hildebrandt – Leipzig 1920, E. Müller – Leipzig 1932), Francogallice (L. Robin – Paris 1929), Britannice (W. R. M. Lamb – London 1961) et in linguam Polonorum (A. Bronikowski – Poznań 1858, S. Okołow – Warszawa 1909, W. Witwicki – Warszawa 1957).

¹⁵ Et W. Witwicki ad similia committenda adducitur. Attributa primum generanti cupidine tantum, cum res ad edenda dudum ab illo gestata venit (209c3), repente per omnia tempora vitae concipiendae ire pergit. Desiderium coeundi portato semine motum se tunc praebet et, satione facta, fert se hic duorum coetus ad partum edendum, mox etiam ad editum alendum (p. 116). Praegnantium appellations easdem (*enkymon*, *kyein*) in *Theaeteti* dictis locis referit W. Witwicki sine ulla exceptione ad, mentis videlicet, graviditatem.

Quoniam, collabentibus et adversariis in similiter discordantia¹⁶, sententiarum neutra se defendere potest, tertiam et medium duarum exstisset notandum est, eorum, qui semine tantum prolixi futurae non fetu ad edendum parato onustos esse generantes putant. Quorum ex iudicio enuntiant pro exemplo supra allata verba Socratis portari ab hominibus partus semina (Okołów, 56) seu inesse ea in parturientibus adolescentia (Kassner, 56). Magna ex parte consentaneum se iis W. K. C. Guthrie praebet, cum edendi partus laborem ex coorto prius amore fieri censuerit¹⁷. Contra hoc iudicium praecedit in Socratis sermone parturientis graviditas eius coetum cum altero participe natus futuri. Omnibus respondendum insitionem eam, in coetu amantium quae fit, abesse ab ipso partu intervallo maturandi fetus longo admodum et non ei tunc pariendum, qui inseminaverit. Non inscius eius rei R. Kassner (p. 61), ne procreatio praeter ordinem eat, in nota iam sententia, ubi generat parturiens dudum a se portata (209c3), generantem – nimia cum diligentia – immittere tantum semen tempestivum, partum autem edere huius foederis alterum iubet¹⁸. Quod dictis non ambigue a Platone valde adversatur. Idem est enim apud eum, qui partum futurum fert quique partus edendi causa formam sibi amabilem conciliat. Quod autem ab eo generatur, non est pro semine tantum habendum. Admodum iam conformatum, adultum se praebet proferendo in lucem. Alimonio potius eget (209c4) quam utero, ubi gestetur. Generantis nata suboles appellatur conferturque cum simili partu legum carminumve, quae Homeri, Lycurgi et Solonis praegnantia ingenia ediderunt (209d3, d5, e4). Ex quo necesse est, ne labatur comparatio, maturum iam nascendo partum edi a generantibus; nisi statueremus Homerum opus non facere, sed alium quem fecundare carminum poetam. Enuntiatur denique generans verba edere (*γεννᾷν λόγον* – 210a8, cf. c2, d5) virtutem excolentia. Quae revera et semina virtutis futurae haberri possunt, sed progenies sunt adulta adeo, ut ad agendum munus suum idoneam se praebeat.

Contrariis duabus amotis et tertia sententiarum parum probanda videtur. Clarum fit a generante in sermone Socratis portari aliquid maturum, ut in lucem etiam efferatur. Cum tamen tali partu gravi ad feminas, quibus

¹⁶ Exemplo fiat F. Schleiermacher. Cum omne tempus in confitenda graviditate perseveret, semel tamen de sententia detruditur. Casus est vertentium se ad seminas praegnantium (*enkymones* – 208e2), qui avidi tantum procreandi („zeugungslustig” – p. 58) ab eo nominantur. Et C. Prantl, in eodem iudicio defendendo magis firmus – commemoratos nuper gravidos („schwanger” – p. 55) vocat –, committit annotationem, in qua fit ei (in *Convivio dicta*) graviditas idem ac studium generis propagandi („Trieb zur Fortpflanzung” – p. 83).

¹⁷ W. K. C. Guthrie, *op. cit.*, p. 444 („birth-pangs, as the result of eros”).

¹⁸ Etiam alii victi ea ratione, contra scripti fidem, eundem esse parientem ac inserentem non sinunt. Nescit W. Witwicki, cui de duobus parientum sit („co tylko który z nich wyda” – p. 116–209c). A. Bronikowski, quod reapse eiusdem est cum duobus agendum dividat („poddające się zapłodnieniu i już zapładać żądne” – p. 123–206d8), quoque ad discernendum parturientem a serente inclinat.

tum concipiendum, vertantur (208e3), res iam ratione non comprehenditur. Testimonio interpretes, quorum nullus discrepantiam evitare potuit. Attamen nostrum est consilium inter conversionum discordantia rei explanationem quaerere. Discors praecipue quod videtur, unum exemplo adhibemus (A. Bronikowski committit, ceterum qui generantes in eo sermone gravidos esse prius confitetur). Est de partuente procreandi avido, qui tamen turpi cui cui occurrens a partu abstinet (206d7–8). Quem dicit interpres fetum non edere, sed coeundi cupidinis vim continentem ferre aegerrime¹⁹. Aestimanti rem trita ratione ita enuntiata alterum cum altero pugnare videntur. Non est enim idem tempus edendi partus atque commiscendi, cum demum proles edenda concipitur. Translatio, parum forsan diligens, perutilem se tamen praebet ad intelligendam Platonis notionem ortus humani. Facit enim manifestum, abesse eius iudicium a multorum opinione de ambobus sexibus in concipienda vita aequae agentibus. Plato ante coetum viri cum muliere conceptum esse hominem arbitratur. Hac de causa fit ei virile desiderium generis propagandi idem ac graviditas parturientis. Ex sententia Platonis progenies futura antequam matri tradatur, a patre alitur. Forma nascentis vitae iam exulta, plerisque semen, non pro semine tantum habenda est. Tali partu onustus gravidus appellari, eius autem cupiditas tradendi fetus parturientium desideriis aequari potest. Nunc demum verissime, quod miraculo prius erat, nominatur partus viri et mulieris coetus (206c5–6) multaque adhuc discordantia visa, translatores in controversias ire cogentia, sexuum coetu pro partu habito explicantur.

Studium nostrum ad partem illam sermonis, quae est, omissa iam sexuum discrimine, de animis parturientibus, dirigitur. Attamen, quoniam utraque graviditas partusque ambo ex aequo praeterea a Platone tractantur, aliqua pertinentia ad mentis in *Theaeteto* dictam graviditatem de toto conici placet. Nam eo saltem conferendi sunt loci, quod aliquid prius conceptum portari a generante in *Convivio* convictum esse videtur. Gravetur mens parturientis, scientiam se quandam talis graviditas praebet, quae, edita, virtutem docens sermo (*logos*) apparet. Is forsan sermo, recte definiens, a *Theaeteto* poscitur. Qua scientia grava est mens ante coetum utrubique, ut coetus amoris hic illic obstetricii tantum communio videatur. Est haec scientia *praenatalis*? Nulla facta est eius rei mentio in utroque locorum. Conversio – A. Bronikowski fecit (122) – ubi incipientia verba (*κνοῦσι*

¹⁹ Parum convictis exemplo – utitur enim interpres verbo Polonis non usitato (*zaradzać* – cf. 210a8, d5) ad appellanda ea, quae, graviditate prius commemorata, partus esse videntur sequentia pauca illius conversionis adduci possunt, quibus liqueat labare vertentis iudicium inter graviditatem et generandi cupidinem. Parturientium corpore et animo, quorum praeterea apud Platonem condicio aequatur, mox priores inseminandi avidi, alteri fetu graves appellantur (p. 126–208e). Enuntiatur denique unus quis serere ea, quibus iamdudum gravidus erat („czem od dawnego był brzemienny, to zasiewa i zapłada” – p. 126–209c3).

πάντες ἄνθρωποι) redduntur, quasi sit demum concipiendum hominibus (*zachodzą brzemienne*), castiganda fortasse, cum iudicio auctoris pugnare non videtur. Contra exspectationem partus in duorum coetu sermo non est scientiae conquisitae ante natum recordatio. Altera ex parte eiusmodi cognitio rerum, non commemorata, non est tamen in utroque dialogo exclusa et reiecta.

Eorum, quibus interrogatis non est in *Theaeteto* responsum, exemplo *Convivii* adducto pauca explicantur. Non est comperiendum, unde insitus partus generanti nec, ipso munere obstetricio non appellato, de scientia adstantis pariendo quidquid explanatur. Aliquo tantum gradu *maieusis*, quae in *Theaeteto* refellendi artem se praebuit, hoc in propositio adiuvatur, cum omnia in hominum disputationibus parta simulacra dicta sint. Veri simulata species ne pro ipso habeantur, usque excuti debent eique necessitatib[us] fert se ars Socratis obsequentem. Evenit, assidue pariendum sit cuique generantium in hoc ascensu ad summae scientiae continuo. Et partus eorum vi aliqua porro creandi praeditus esse videtur, cum ad virtutem excolendam se conferat cumque, periturus sicut alia (207e ss.), usque reficiendus sit. Partum permanentem iudicioque severo lustrandum assidue a Platone postulari facit *Convivii* locus manifestum.

Sunt quidem aliqua gravia explicatui, ut nulla facta in *Convivio* mentio muneris obstetricii (generantes ibi sponte id fecisse videntur, incitati tantum pulchritudine) exortumve parienti studium educandi comitis, ceterum cui, adsit pro obstetricie partui, necessitas. Quae discordantia visa obstant, ne loci artius conferantur. Attamen, cum sit oblata in ipso sermone Socratis aliqua explanatio discedentium – pulchro obstetricia agere iusso (206d2–3), quod pluribus supra tractabatur –, adeo alter alteri conciliantur, ut eiusdem hominum facultatis edendi portata in animo, postquam apte stimulati, testimonia non dubitanda haberi possint.

Convivii locus, ut documentum Socratischei *maieuseos* non sit appellandus, tamen, proximus *Theaeteti* testimonio et rei existimatione et ubertate materiae, aliquod illi supplementum se commendare videtur. Eius defendenda cum *Theaeteto* congruentia ad diversa locorum concilianda cogit. Ambobus sermonibus interiectum aetatis spatium respici huius discriminis explanandi ratio nobis potissima videtur. Socrates cum Diotima colloquens iam non est idem ac sermonem in *Convivio* referens et sine dubio differt ab eo, qui breve tempus ante mortem cum *Theaeteto* loquitur. Adulescentior annis offert se magis primum – quibus praecipue *Convivii* locus diversus – in amorem pulchritudinemque colendam. Aetate maturior se iam non cupidum generandi, praeterquam quod ad pariendum minus idoneum, sentit, adulescentibus autem non doctis portata in animo edere crescit in eo desiderium, siat iis opportunus. Compulsus hac cupidine tunc demum obstetricio suo fungi incipit. Quod negotium, ut suscep- tum a provecto annis, nititur tamen in disciplina de hominum graviditate, quam se olim iuvenem a Diotima excepsisse refert.